

ex cujus persona commodum redundat in vitam sociale[m]; cujus vero persona ita non est comparata, ut aliquid commodi conferre vitæ sociali queat, ille non est habilis ad aliquid sibi recte justeque acquirendum, vel defectu legitimæ personæ laborat: qui in omnibus deprehenditur, qui artibus operantur ludicris. Omnis enim acquisitio æstimanda quoque est ex fine hominis acquirentis, qui nullus alius esse potest, quam post gloriam DEI aliorum, quibuscum vivimus, utilitas; cum nemo sibi, sed aliis etiam natus sit, ceu à principio statim demonstratum fuit. Quicumque vero tali defectu laborat, ille, quantumcunque etiam sibi acquirat, nihil tamen salva conscientia retinere potest; quod non eo modo sibi acquisierit, quo acquirere debebat, quodque nihil recte acquiratur, quod non ex eo vitæ genere proficiscitur, ex quo alii in vita sociali utilitatem capiunt. Jam vero meretrices, præterquam quod injuriose agant, *vid. Cap. II. num. 22. seqq.* nullam quoque legitimam personam sustinent; cum, quatenus in se spectantur, non modo inutilia sint terræ pondera, sed animalia etiam pestilentissima. Licet enim judicio studiosæ Veneris juventutis meretrix videatur esse animal blandum, innoxium, gaudia ferre paratum, viris si tibundis omnibus horis; ac beatius censeatur illas æstimare, quam illaborare officinis, ingemere agris, *vid. Benj. Priolus de Reb. Gall. lib. 2. §. 38.* id tamen judicium hominum est per libidinem corruptorum, quibusque omnis honestatis sensus ablati. Cum igitur meretrices vitæ genus hominum societati noxium exerceant, ne quicquam ex eo etiam juste acquirere sibi poterunt: tantum vero abest, ut male per scelera parta juste atque illæsa conscientia retinere valeant. Nec quicquam officit, quod meretrix autoritate legis in possessione lucri accepti defendatur, & sic putata esse in conscientia possit. Etenim lex meretricem non tuebitur ob rationem utilitatis publicæ; quo in casu de possessione securus redditur in conscientia, quicumque autoritate legis possidet. Sed neque meretrici jus quæstum ejusmodi turpem retinendi competit favore ipsius, verum odio Scortatoris, qui ob turpitudinem facti sui indignus omni beneficio Juris æstimatur, & impuræ suæ

libe-